

hisce verbis: *Ergo si quidem Arrhæ nomine aurum datum sit, potes hoc solum secundum fidem pacti recuperare. Sin vero partem pretii persolvisti, ad ea, quæ venditorem ex venditione oportet præstare, magis actionem, quam ad pretii quantitatem, quam te dedisse significas, habes.* Nam Arrha datur ad contractum probandum; pars pretii vero ad illum implendum. Et quamvis interdum pecunia Arrhæ nomine data, postea in pretium computetur; illud tamen fit plane per accidens, & ex post facto; quæ in discernendis negotiis non considerantur. *l. 8. pr. ff. Mandat. vid. etiam Wesemb. π. ff. tit. de concrab. empt. num. 9. in fin.*

CAPUT IV.

De

Origine & causa efficiente.

XXXII.

Arrhæ datio res est antiquissima; illamq; a primis Parentibus originem trahere, & internuncium Abrahæ, Rebeccæ, quam herili filio uxorem petebat, res pretiosas & ornamenta arrhæ loco dedisse, scribit Wesembecius, *in π. ff. tit. de Sponsal. num. 5.* & Paulus Cypræus, *tr. de Sponsal. cap. II. §. I. num. 30.* quos sequitur Dn. Carpzov. *lib. 2. Jurispr. Consistor. def. 51. num. 5.* Et quamvis Bachovius, *in not. ad Wesemb. d. loc. lit. H.* res illas Rebeccæ datas non posse haberi pro veris Arrhis, sed potius simplicem donationem fuisse existimet; quippe quas minister nec dum compellatis parentibus puellæ dedit: utraq; tamen sententia, adhibita distinctione, admitti poterit. Apparet enim ex *cap. 24. Gen.* quod Minister Abrahæ Rebeccæ bis dona obtulerit; primum in ipso adventu, stans adhuc extra domum prope fontem, parentibus puellæ non dum compellatis; *d. cap. 24. vers. 22.* secundum in ipsa domo, compellatis jam Parentibus, ipsaq; puella desponsatâ, *d. c. 24. vers. 53.* De prima oblatione (de qua in specie Wesemb. & Cypræ. loqui